



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

vii [i.e. iii]. Positâre in uno loco, perit opposita ei negatio ubiqûe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

subjectum proximè vel remotè capax est, uniri cum tali forma, alia est privatio proxima, alia remota.

III. Tollitur privatio positivè per unionem formæ oppositæ cum subjecto; negativè per destructionem subjecti capacis, & privatio proxima per ablationem dispositionum proximarum. Positâ autem re in uno loco, perit opposita illi negatio ubiquè, quod, si non fieret, res eadem simul erit simpliciter, & non erit simpliciter; est simpliciter; ad hoc enim sufficit, ut sit alicubi; non erit simpliciter; quia ejus negatio erit alicubi; sicut enim ad hoc, ut res sit simpliciter, sufficit, ut sit alicubi, sic ad hoc, ut non sit simpliciter, sufficit, illius negationem esse alicubi. Ex eo itaque, quòd Petro tantùm existente Coloniae, ille non sit Romæ, non sequitur, negationem Petri fore Romæ; sed negationem ubicationis Petri fore Romæ; eodem modo, ex eo, quòd posita ubicatione Petri Coloniae, tollatur negatio hujus ubicationis Coloniensis etiam Romæ & ubiquè, non sequitur, ubicationem Coloniensem Petri fore Romæ; quia ubicationem Coloniensem esse Romæ, præter

existentiam ubicationis Coloniensis dicit aliquid, per quod ubicatio Coloniensis sit, vel defigatur Romæ, nempe coexistentiam spatii Romani & ubicationis Coloniensis.

IV. Existit privatio proxima immediate ante generationem causalem, seu quando omnes dispositiones, exceptis iis, quæ una cum forma inducuntur) sunt in materia ad formam sequentem; existere enim non potest eo instante, quo fit corpus naturale, seu quando est generatio, quia tunc est forma illi opposita. Principiat quando primò est compositum seu generatio, & consequenter quando ipsa privatio primò non est, seu definit; quod enim se habet per modum transeuntis, seu termini, à quo receditur, quod quæ inexistit fluenter toti alicui fluenti seu successivo, eiqûe morali tantùm, seu non habenti partes suas omnes invicem unione physica multòque minùs permanente unitas quale est hoc totum; *corpus naturale in serie per mutationum*; adeoquæ dicit plura instantia (etsi generatio aliqua causaliter sumpta seu in quantum præcisè est productio formæ, sit instantanea) opus, inquam, non est, ut illud existat tunc, quando dictum totum existit